Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

erat. se esse indignissime vite hominem peccatorem. atque non
multi temporis ex latrone ad istud quod nunc exercere vi
deretur. fedum artificium devolutum. Pafnutius eo magis instabat.
requirens si quid ei forte vel inter latrocinia boni operis fuisset
admissum. Nichil inquit esse scio in me boni. hoc tamen scio quod
cum inter latrones essem. capta est aliquando a nobis virgo deo conse
crata. huius cum ceteri collegę mei latrones cuperent eripe
re pudorem. obieci me medium. et eripui de contaminacione
latronum. et nocte deducens eam usque ad vicum domui suę
restitui intactam. Alio quoque tempore inveni mulierem ho
nestę formę in heremo oberrantem. Hanc cum interrogarem
a me unde vel cur aut quomodo in hec loca devenisset. respon
dit. Nichil me interroges infelicissimam mulierem. nec cau
sas requiras. sed si ancillam placet habere. abduc me quo vis.
Michi autem infelici est maritus. qui debiti fiscalis gratia sepe
suspensus. et flagellatus. ac penis omnibus cruciatus. serva
tur in carcere. nec aliam ob causam producitur. nisi ut tormen
ta patiatur. Ego quoque miserrima que ad similes penas
inquiror. de loco ad locum fugitans. inedia miseriaque con
fecta. per hec nunc latitans oberro loca. triduum hoc iam sine
cibo ducens. Ego ubi hec audivi miseratus adduxi eam
ad speluncam. et reficiens animam eius fame collapsam.
dedi etiam trecentos ei solidos. per quibus se ac maritum et
filios. non solum servituti sed et de suppliciis. ut asserebat esse
obnoxios. et revocata ea ad civitatem. omnes eos data pe
cunia liberavit. Tunc pater pafnutius. Ego inquit nichil
tale feci. tamen credo etiam audire pervenisse. quod celebre
pafnucii nomen inter monachos habeatur. Fuit enim non mi
mediocris studii ut vitam meam inbuissem excolerem disci
plinis. Deus quidem de te mihi revelavit. quia nichil minus